3000 r.

E-CV

N°. 1er

CLAVDII ARNOLPHI PARISIENSIS THEOLOGI pro Henrico Rege Nauarræ ORATIO

Ad Gregorium XIII. P. M.



LVGDVNI,
Apud Benedictum Rigaudum.

1573.

THE NEWBERRY LIBRARY

DE HENRICI REGIS NA-uarræ, ad Gregorium XIII. *Legatione Epigramma.*

Romanis quantum placuit legatio Regis
Nauarrę, facile hinc diſcere ꝗſque poteſt.
Relligio puerum rapuit quem perfida regẽ,
Liber is ad Petri limina ſacra redit.
Qui mãdata tulit magno Duraſſus honore,
Clementis quinti ſtemmate clarus erat.
At pius orator non miſcens ſacra profanis,
Pontifici placuit principibuſque viris.
Hæc tria cum per ſe fuerint gratiſſima, nõne
Roma ingrata fores, ni tibi grata ſient?

M. D. M. faciebat.

56-1447

CLAVDII ARNOLPHI *Pariſienſis Theologi pro Henrico Rege Nauarræ*

Oratio ad Gregorium XIII. Pont. Max.

SI quantum lætitiæ bonis omnibus ſit allaturum B. P. quod de iuſto, & pio Regis Nauarræ in obedientia preſtãda officio ſum dicturus euangelium, tantũ mihi facultatis ad dicendum ineſſet, poſſem quidem facile gaudium non hominibus ſolum, ſed & angelis commune verbis aperire: tanti verò gaudij cauſas vel omnes explicare, vel animorum ſenſibus oratione adæquare, eſſet difficillimum. Sed imitabor in hac parte Timanthem pictorem egregium, qui in depingenda Iphigeniæ immolatione, cum paterni mœroris acerbitatem dignis ſatis non poſſet exprimere affectibus, velauit eius caput, & ſuo cuique animo reliquit æſtimandum. Quis enim pro dignitate poſſet dicendo conſequi, quam optatò his maxime temporibus aduenerit, & quanta animorum gratulatione expectatus clariſsimus hic & nobiliſsimus legatus, qui

Henrici Regis,& Margaretæ Regine Nauarrę nomine, genibus tuę Sanctitatis aduolutus,non ſolũ fauſta omnia & fœlicia huic ſanctæ ſedi,& auguſtiſſimo Cardinalium collegio precetur, ſed eam nũc tibi deferat obedientiã,quæ vero Chriſti vicario, certiſsimo Petri apoſtolorũ principis ſucceſſori, communi non vnius vrbis,ſed totius orbis paſtori à Rege vere chriſtiano ſolet & debet exhiberi: Quã cum ipſi coram,vt votis omnibus exoptaſſent,præſtare non potuerint, illuſtrem torquatæ cohortis equitem Duratiũ mittendũ cenſuerunt,cuius fides tanto certior,& præſentia iucũdior eſſet,quo gentilitio Clementis Quinti Pontificis nomine eſt cõmendatus, & propinquitatis vinculo Illuſtriſsimo Cardinali Senonẽſi cõiunctus. Huius ego mãdato Regiæ voluntatis hodierno die conſtitutus interpres, coram excelſo Pontificiæ maieſtatis throno ita afficior, vt hæc ſplendidiſsima corona ſit velut nouacula & gladius tonſorius verborum meorum. Sed cum ea tantum ſim dicturus, quæ vel nouitate attentam, vel breuitate clementem & beneuolam reddere poſſunt, etiam ſi illius me terreat magnitudo,inuitat tamen humanitas,quæ non minorem bonæ volũtatis, quam culti ſermonis habitura eſt rationẽ.Gratulamur igitur tum Sanctitati tuę B.P. tum felicitati, vel rectius vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ,quæ priſtinum ſuum ſplendorẽ magno omnium mœrore obſoleſcentẽ,auſpice ſibi in integrum reſtituendum præſentiens,Euchariſticas laudes te duce& Deo optimo offerre nõ ceſſat,qui patribus in libro vitæ conſcriptis hanc mentem dederit,

derit, vt nulla contentione, & ambitioſa coitione (quorum ob id ſemper honos, nomenque, laudeſque manebunt) nulla interiecta mora, (neſcit enim tarda molimina Spiritus ſanctus) communibus votis & ſuffragiis (quod manifeſtum bonitatis indicium eſſe affirmat Gregorius huius nominis parens) te vnum deſignarint, & idoneum decreuerint qui bonitate velles, ſapientia ſcires, auctoritate poſſes tantis in fluctibus tantoque rerum motu magni huius gubernaculi pondus ſuſtinere: Vt quod olim Cæſar magno cum applauſu proclamaret, Veni, vidi, vici, idem cum magna omnium admiratione, & ſingulari nominis commendatione poſsis aſſerere, veni in conclaue, vidi patres vixdū certa ſtatione collocatos, & vici meam de me opinionem. Non poſſum equidem ratione conſequi quam læta, & hilari fronte apud omnes fuerit exceptus primus de tam diuina ad Pontificatum vocatione Nuntius, quanta lætitia & exultatione omnium animos perfuderit. Sed cum te Gregorium diuina prouidentia decimum tertium nominari auditum eſt, dici non poteſt quanta fuerit communis iubilationis facta acceſsio, quam multiplex boni ominis de nomine illo ſignificatio. Alij enim ex ethimo vocabuli, quod vigilantem paſtorem, & in officio exequendo ſedulum denotat, diuinum quoddam rebus humanis lumen oriturum, & angelicum breui affuturum præſidium colligebant, quod paſtoribus ſuper gregem vigilantibus lux diuina affulſerit, eisque euangelium pacis annuntiatum. Nonnulli Draconis inſignia

interſerebant, & caput Draconis tanquam trophæum, & ſpolium magnæ alicuius victoriæ portendi ominabantur, qua ſerpẽtem illum antiquum ſinuoſis hæreſeon fallaciis eccleſiæ inſidiantem, & virus teterrimum ore ſuo conſpurcato vbique ſpargentem, prudenti tua vigilantia eſſes conculcaturus. Quemadmodum enim in veteri lege ſerpens vt certiſsimum ſalutis ſignum erigebatur, ſic in lege gratiæ, velut prudentiæ ſymbolum proponitur. At qui ex antecedentibus rerum conſequentias vident, & penitus rimantur, audita tam admirabili, & ſubita electione, intellecta fælici, & ſemper eccleſiæ auſpicata Gregorij nomenclatura ſtatim magnum aliquid, & ſingulare in eccleſia portendi vaticinati ſunt. Nam ex veterum hiſtoriis tamquam certis auguriis colligebant nullum Gregorij nomine Pontificem ſcriptis mandari, quo gubernante Deus mirabiles ſuæ potentiæ effectus non oſtenderit. Aut enim inſignes regnorum, & prouinciarum ad fidem conuerſiones, aut hæreſes omnino exploſæ & expugnatæ, ſchiſmata ſedata & cõciliata, infẽſiſsimi huius ſedis, & eccleſiæ hoſtes debellati, ſub Gregorianis Pontificibus commemorantur. Etenim vt à capite exordiar, Gregorio primo Pontifice, Edilbertus Anglorum, & Sigebutus Arianorum in Hiſpania Reges, vna cum populo ab hæreſi & infidelitate conuertuntur: Germania inferior, Veſtphalia, & Friſia ſedente Gregorio ſecundo Chriſti nomen recipit: Alphonſus Rex Galliciæ, Arianam hæreſim in Hiſpania repullulantem extirpat: cui ob id & eius poſteris à

Gregorio

Gregorio tertio Regis Catholici nomen donatum eſt: quo tempore Saracenorum nomen funditus e Francia deletum. Rex Danorum cum coniuge, & toto regno Sueuiæ in Pontificatu Gregorij quarti Chriſtianam fidem profitetur. Tempore quinti Olodomirus Dux Ruſsiæ opera vxoris Catholicæ Chriſto nomen dat. Sub ſexto Vngaria Paganiſmum abiicit: Henricus Imperator veniam a Gregorio ſeptimo petit, & impetrat, ſed tanta cum animi ſubmiſsione quanta nuſquam legatur inſignior: quo ferme tempore Berengarius quintam, & vltimam ſuæ hæreſeos palinodiam cecinit. Gregorius Octauus, fœdus inter omnes Principes Chriſtianos quadam indiſſolubili ſocietate cótra Turcas iniri procurauerat. Albigenſes hæretici vltimo bello victi oppugnantur & expugnantur tandem Gregorio nono Pontifice. Sub decimo, græcæ & latinæ eccleſiæ vnio decimatertia conciliatur: in qua Balduinus Imperator Græcos refractarios ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam compulit. Temporibus vndecimi, Lithuani vltimi in Europa populi fidem amplectuntur, & Roma proprium paſtorem per 74. annos abſentem recipit. Sub duodecimo, Ioſue minimus filiorum Bagazetis impiam Mahumetis legem deteſtatur, & Chriſtianæ religioni initiatur. At Gregorij decimi tertij nedum magni ſed maximi Pontificatu, cuncta tam grauia, tam acerba, & luctuoſa, quibus Gallia impia hæreticorum tyrannide vexabatur, quibus Nauarra penitus deſperata ſuccumbebat, quibus Flandria miſere opprimebatur, quibus denique

vniuerſus orbis languebat, velut ſalubri quodam exorto rebus humanis ſidere repreſſa,& ſedata ipſi vidimus, alij audierunt. Signabitur hoc præcipue titulo Pontificatus tui annus primus(qui vtinam annos Petri videat, & procul excedat) vt ſi quis quondam non expreſſo nomine Gregorium Decimumtertium intelligi velit, eum Pontificem dicat cuius Pontificatus anno primo, Gallia excuſſo impiæ tyrannidis iugo de illis perduellibus triumphauit, qui pluſquam Gigantæa audacia Regem regno,regnum religione ſpoliare flamma, & ferro tentarunt: Sed addetur decus hoc ſingulare annalibus tuis B. P. quod te Pontifice Henricus Rex Nauarræ, cum pro temporum infelicitate potiuſquam voluntatis peruerſitate,in eos homines puer incidiſſet, qui fraudi ſuæ nomen Euangelij prætexentes, peregrinis doctrinis ſuam adhuc teneram, & nondum confirmatam ætatem non ſolum imbuere,ſed variis, licet vanis, artibus ab eccleſia & huius ſedis vnitate alienare tentabant, pro ea qua donatus eſt naturæ bonitate, cum ad maturiorem ætatem peruenit,etiam ſi multæ & magnæ amplificandi Regni darentur occaſiones, Vliſsis inſtar obturatis cera prudentiæ auribus,ſpretis & abiuratis eorum præſtigiis, nihil aliud ſibi ſtudio habuit, nihil antiquius duxit, quam iure quodam poſtliminij ad eccleſiam communem omnium matrem recurrere,fidem maiorum ſuorum obuiis, quod aiunt,vlnis amplecti,conſtanter retinere, & inſigni aliqua acceſsione cumulare. Atque eo creuit magnitudo pietatis ſuæ,vt numquam fœlix, &

auſpica

auſpicatum regnandi principium exiſtimarit, niſi te in primitiis regni ſui nouum creatum Pontificem recognoſceret, debitum gratulationis munus præſtaret, & apoſtolico Throno humilem obedientiam, & deuotum obſequium quanta poſſet veneratione exhiberet. Quam ad rem licet ipſe per ſe naturali quodam animi impetu ferretur, tamen vt non parui ſolent eſſe ad virtutem retinendam ſtimuli, parentum & maiorum pro fidei defenſione heroica facta, hoc ſemper hæreditarium Regibus Nauarræ, & Liliati ſanguinis principibus peculiare intellexit, opes & magnitudinem ſuam non ad ambitum aliquem priuatum conuertere, ſed in quauis rerum acerbitate fidem potius, quam regni ditionem amplificare, religionis defenſioni omnia alia poſt habere, illiuſque propagationem primam ſibi omnium rerum putare. Hic ſi per longam maiorum ſuorum ſeriem orationis vela pandere, & quaſi aperto mari inuectus, illorum ſtemmata decurrere vellem, & numero, & magnitudine potius obruerer: cum præſertim Regibus Galliæ in propugnanda religione principem locum facile obtinentibus, & conſanguinitatis, & affinitatis vinculo fere ſemper coniuncti legãtur, atque hac perpetua laudis, & generis ſocietate glorientur. Quis enim vſque adeo in temporum hiſtoriis peregrinus & hoſpes, qui non certo ſciat Regem, & Reginam Nauarræ ex ſancta illa D. Ludouici ſtirpe originem ducere? Quis inficias ibit Ludouicum Regẽ Nauarræ Philippi Animoſi Regis Galliarum filium fuiſſe, & ab ipſo nũquam interrupto

ſucceſsionis ordine Regni hæreditatem ad Henricum perueniſſe? Quis tam parum in annalibus noſtris verſatus, cui non conſtet Ioannam Reginam Nauarræ vnicam Regis Henrici, & Campaniæ Comitis filiam, Philippo pulchro Gallorum Regi in matrimonium fuiſſe collocatam? Cuius pietatis inſigne extat monumentum, & toto orbe celebratum Pariſienſe illud Nauarræ collegium, omnis literaturæ emporium, ſchola principum: quod quã diu literarum decus vigebit, virtutem Nauarræorum immortali præconio commendabit. At ex tam fælici coniugio tres Francorum Reges, Ludouicus Hutinus, Philippus Longus, & Carolus cognomine Pulcher, cum Iſabella Eduardi Anglorum Regis vxore, tanquam ex quodam Regum ſeminario pullularũt. Quod ſi ex illuſtriſsima Foxenſi familia originem repetere liceat, in vno Guaſtone decimoſexto Foxẽſi Comite tanta Regiæ ſobolis fœcunditas propagata eſt, vt ex nouem quos procreauerat liberis, tres Viẽnæ, & Narbonæ Principes, cum vno Cardinali Foxenſi numerentur, atque quatuor ex quinque filiabus potentiſsimorum quatuor Regnorum, Galliæ, Aragoniæ, Nauarræ, Boemiæ, Reginæ celebrentur: vt non ſine diuina diſpenſatione, que nobilitatis amplitudo vno non poterat arctari angulo, per omnes orbis partes extenderetur. Sed non ſine flagitio prætermiſeram Theobaldum, Campaniæ Comitem, Franciæ Patritiũ, & Regno Nauarræ Præfectum, qui ex Blanda filia Regis, materno iure Regni hæreditatem adeptus, & cum D. Ludouico ad ſacrum bellum in

Africam

Africam profectus, nullam bonorũ iacturam, nullam difficultatẽ pertimuit, nullamque refugit dimicationem, vt Chriſtiani nominis fines propagaret. Eodẽ quoque iure Regni, & virtutis heres Rex Henricus eodẽ etiam animo per hæc veſtigia gradietur, non ſolũ vt ſe, populumq; ſuum in vero Dei cultu contineat, ſed vt tot ſectæ tam inter ſe diſſectæ, & religioni noſtræ inimicæ extirpentur, ſediſque Apoſtolicæ, & eccleſiaſtici ordinis authoritas ſarta tectaque conſeruetur. Cum enim cathenulas & ſmaragdum, honoraria Regni ſui inſignia, contemplatur, recordatur facile gemmam in diademate Regio precioſiorem nullam elucere fidei, & religionis integritate. Sed qd externis immoror? Nouiſsimis Galliarũ tumultibus, cum iam palam perduelles hæretici arma, & bellum atrociſsimum intentarent, multaſque vrbes, & munitiſsima Regis oppida in ſua haberent poteſtate, Anthonius Rex Nauarræ Regia propinquitate, & generoſitate illuſtris, huius Henrici pater, vt ſuæ erga Deũ, & Regem fidelitatis arrhã poſteris relinqueret, in Rhotomagi Normaniæ Metropolis obſidione fortiter dimicans, non dubitauit capitis ſui periculo prouidere: qui magno ſui apud omnes bonos relicto deſiderio, procumbens contra eccleſiæ patriæque rebelles, non potuit fato nobiliore mori. Si ergo radix tam ſancta, quomodo rami in ſanctitate areſcerent? quomodo ſemper vernantia liliorũ folia deflueret? Hæc ideo paulo longius commemoraui B.P. non vt laudum præconem potiuſquã voluntatum interpretem agerem, ſed vt omnibus pa-

Iam facerem, tantam ſemper inter Reges Galliæ, & Nauarræ intercesſiſſe & animorum, & corporum neceſsitudiné, vt nemini mirum eſſe debeat, ſi Carolus Rex Chriſtianiſsimus dignitatis Nauarricæ, id eſt, ſanguinis ſui aſſertorem ſe, & vindicem profiteatur. Cum præſertim Margaretam ſororem ſuam, Franci generis vere pretioſam Margaritam, glorioſo, & tua intercedente authoritate B. P. contracto matrimonio, Henrico Regi in vxorem dederit: quod niſi fœlix, & eccleſiæ auſpicatum credidiſſet, & vberiores pacis Chriſtianæ prouentus expectaſſet, nũquam Catharina Regina nõ verius Regis quam Regni mater, nunquam Sereniſsimi Fratres duo Galliæ luminaria magna, nũquam illuſtriſsimus Princeps & Cardinalis à Borbonio, eccleſiæ Gallicanæ præſidium & dulce decus, tam pia ſollicitudine procuraſſent. Sed quam bene ſors ceciderit, ſignis maximis eiſdéque lętiſsimis Deus confirmauit. O fœlices nuptias, que cæleſtem ſortitæ ſunt paranymphũ: fœliciores, quæ digito Dei ſcriptum nactæ ſunt epithalamium: fœliciſsimæ, quibus non tam interfuit quam præfuit Dominus, & turbidam ſeditionis aquã in dulce pacis & tranquilitatis vinum commutauit. Iam nunc percipimus tuæ Sanctitatis diuina chariſmata B. P. nunc experimur quam non fuerint irrita & vana de tuo pontificatu auguria: in quo res chriſtianæ aliorum temporibus in ſummum diſcrimen adductæ, & extrema ſpe pendentes, nunc in maximam tranquillitatis ſpem erigantur. Pium V. glorioſiſsimæ memeriæ tam magna parantem, tam pulchra moliente,vt

tem,vt

tem,vt Galliæ,Nauarræ,& totius orbis rebus labo rãtibus ſubueniret, inuida mors oppreſsit: at hæc tibi Gregori Pontifex, a ſuperis eſt reſeruata palma, vt ea tuo tempore magna ex parte confecta videas, quæ omnes retro Pontifices concupierunt. Macte ergo virtute Pater, quemadmodum Sanctitati tuæ congratulatur Rex Nauarræ, toto mentis affectu exoptat, ſucceſsibus tuis faueat Pater ille cæleſtis, vt ſub vmbra alarum tuarum iuſta regni ſui fœlicitate perfruatur: ſic & illi congratuletur Sanctitas tua, imo & tota Reſp. Chriſtiana. Reſpexit Dominus regnum Nauarreum: conſcidit ſaccum eius: vinea Sabaoth ſpinas vltra nõ feret: ager dominicus non ſilueſcet in poſterum. En Regem nunc tuum religione, tuum fide, tuum voluntate ſuſcipe, & apoſtolicæ protectionis clypeo defende eo animo, quo cum lectiſsima coniuge Regina Beatitudini tuæ, & Apoſtolico throno omnem venerationis & reuerentiæ cultum præſtat: ea charitate, qua tuæ Sanctitati perpetuam obedientiam, & ſinceram deuotionem cum humili obſeruantia exhibet: ea fide, qua te indubitatum Petri ſucceſſorem legitimum Chriſti vicarium atteſtatur: Se, Reginam, regnũ, prouinciaſque ſuas promptiſsimo animo, & conſtantiſsima fide commendat: & ante deoſculatos Sanctitatis tuæ pedes deponit: cuius tam pio voto, ſi vt non difidimus, annueris, non minus memorem Regem, quam gratum filium omni æuo experiere. Dixi.

Habita fuit in publico conſiſtorio V. Idus Februarij, M.D.LXXXIII.